

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 231216D

Sábado 16.12.2023

## Carta del Santo Padre al Enviado Especial con motivo de la celebración del "doble jubileo" de la Diócesis de Augsburgo en honor del Patrono San Ulrico, en el 1050 aniversario de su muerte y el 1100 aniversario de su ordenación episcopal

El 30 de octubre de 2023, el Santo Padre nombró a Su Eminencia el Card. Christoph Schönborn, O.P., arzobispo de Viena, como Su Enviado Especial a la celebración con ocasión del "doble jubileo" de la diócesis de Augsburgo en honor del patrono San Ulrico, en el 1050 aniversario de su muerte y en el 1100 aniversario de su consagración episcopal, que tendrá lugar el 28 de diciembre de 2023 en la catedral de Ausburgo.

El Enviado Especial estará acompañado por una Misión Pontificia compuesta por los siguientes clérigos:

1. Rev. Can. Armin Zürn, párroco de la catedral de Ausburgo;
2. Rev. P. Christoph Hänsler, Párroco de la Basílica de los Santos Ulrico y Afra de Ausburgo.

Publicamos a continuación la Carta del Santo Padre a Su Eminencia Card. Christoph Schönborn, O.P.:

### Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro  
CHRISTOPHORO S.R.E. Cardinali SCHÖNBORN, O.P.  
Archiepiscopo Metropolitae Vindobonensi

Permagnam consuevit Ecclesia ostendere aestimationem omnibus Sanctis, iisque potissimum qui muneribus apostolicis animose impigreque dederunt operam, vel qui dioecesanis communitatibus veluti Antistites praestiterunt. Inter hos est annumerandus procul dubio sanctus Udalricus, qui primum sodalis Monasterii Sancti Galli, deinde Episcopus lautae Augustanae Vindelicorum ecclesialis communitatis fuit. Nobili genere natus, nobilior quoque eius vitae opus, nobilissima denique exempla abstinentiae, largitatis et vigilantiae, quae usque

ad dies nostros permanent. Etiamsi ab eius episcopali consecratione ac obitu mille centum atque mille quinquaginta annorum transisse traduntur, adhuc hodie, certe, sicut lucerna posita super candelabrum splendet coram hominibus (cfr *Mt 5, 15-16*) vita huius sancti Episcopi, dilectae dioecesis Augustanae Vindelicorum Patroni.

Considerato quidem huius duplicis Iubilaei pondere simulque cupientes sancti Udalrici, viri fortissimi pastorisque insignis fidem catholicam, Christi dilectionem Ipsique plenam et fidelem deditionem, quibus assidue orationem coluit, restorationem, reconciliationem et pacem fovit atque cum cordis aure necessitates populi sibi concrediti auscultavit, nostrae aetati rursus proponere, de anno iubilaeo in eius honorem Augustae Vindelicorum celebraturo omnino laetamur.

Idcirco libentes volentesque postulatis occurrere volumus Venerabilis Fratris Bertrami Ioannis Meier, Episcopi Augustani Vindelicorum, qui a Nobis petit ut Patrem Purpuratum illuc mitteremus ut magnificentius eventus ille perageretur. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cor et mentem convertimus, quem omnino dignum iudicamus hoc officium sustinere, quia etiam tua communitas archidioecesana cultu huius Sancti clare eminet. Fraternam ideo tibi benevolentiam confirmamus teque, Venerabilis Frater Noster, hisce Litteris NOSTRUM MISSUM EXTRAORDINARIUM renuntiamus et constituimus ad singularem eventum memorati duplicis Iubilaei Augustae Vindelicorum proximo die XXVIII mensis Decembris in Cathedrali ecclesia celebrandum.

Sacris ritibus nomine Nostro praesidebis, omnes adstantes salutabis atque Nostram benevolentiam ostendes, quibus totam Augustanam Vindelicorum urbem et dioecesim complectimur et multa loca ubi Sanctus pie colitur.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus ut diligenter officium tibi concreditum expleas, quo ibidem Pastores et Christifideles multiplicibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimur, quamque ad omnes congregatos et sancti Udalrici devotos effuse volumus pertinere.

*Datum Romae, Laterani, die XVII mensis Novembris, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.*

FRANCISCUS

[Testo originale: Latino]